

Albert Willebrand

Programma in ipsa Sanctissimi Spiritus Solennitate, ab Alberto Willebrando, U.I.D. Codicis Profess. Consistoriiq[ue] Ducalis Adsessore; p.t. Academiae Rectore, P.P. Quo Cives Academicos, Studiosam vero praecipue Iuventutem, ad devote pieq[ue] ista sacra celebranda, Gnaviter invitat, serioq[ue] hortatur

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735638551>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA
 in ipsâ
 SANCTISSIMI
 SPIRITUS
 SOLENNITATE,
 ab
 ALBERTO WILLE-
 BRANDO, U.J.D.


Codicis Profefs. Consistoriîq; Du-
 calis Adfessore;

p. t.

ACADEMIÆ RECTORE,

p. p.

Quo Cives Academicos, Studio-
 sam verò præcipuè Juventutem, ad de-
 votè pieq; ista sacra celebranda,
Gnaviter invitât, serioq; hortatur.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Ac, Typogr. clb lbc LXIII.



63
REDO IN SPIRITUM SAN-
CTUM. Ita disertim eo in Sym-
bolo, quod *Apostolicum* vocitari
suevit. Non quidem quòd ab
ipsis Apostolis totidem verbis
conceptum. : Id enim si esset,
Canonis Biblici partem faceret,
librisq; ac scriptis Apostolicis ac-
censeretur; sed quòd contineat
summam totius doctrinæ Apostolicæ, cuius adulto &
rationis compoti ad salutem necessariæ; quin nec aliis,
quàm quibus ipsi usi fuerunt Apostoli & Evangelistæ,
verbis expositam. Quemadmodum itaque fidem no-
stram in DEUM PATREM, DEUMq; FILIUM, sic non
minus in SANCTISSIMUM SPIRITUM ferri oportet,
tanquam ipsum etiam verum & æternum DEUM. Quod
quàm perspicuè solideq; in sacris fundatum literis, in
Symbolo adstructum, per venerandam antiquitatem
confirmatum est, tam mirari subit, fuisse, qui divinum,
catholicum ac indubitatum dogma impetere nihilo-
minus, vel propudiosè potius, ab ipsis usque Ecclesiæ
incunabulis, destruere conarentur. Impudentissimus
mortalium, ac nequissimus impostor *Simon Magus*, se-
ipsum nominabat infinitam potentiam, seq; Judæis qui-
dem ut Filium apparuisse; ad Samaritanos autem tan-
quam potentiam descendisse, ad alias verò gentes tan-
quam Spiritum S. accessisse, Testis est *Theodoretus* de
fabul.

fabul. hæret. *Augustinus* hæres. 1. dixisse, ait, *Magum*,
in lingvis se igneis Spiritum S. super Apostolos venisse.
Quin scortum, *Helenam*, cujus amoribus irretiebatur,
Spiritum & *ενοειαν* aliquam divinam appellitabat, & esse
magno molimine fatebatur. Sic ejurasse omnem fron-
tem videas miseros, quos fascino quasi quodam corru-
pit Satanas. Cæterum eodem furore incitatus *αλογος*
και ατοπος *Manes*, semetipsum Spiritum Sanctum & Pa-
raclctum esse asseveravit; quod omnino ex *Epiphanio*
atque *Augustino* discere est. *Hierax* aliquis *Leopolitannus*,
Ægyptius, *Melchisedecum* Spiritum S. esse firmavit, uti
eidem observatum est *Epiphanio*, hæres. 67. *Sampsas-*
orum sive adsertio, sive delirium fuit, Spiritum S. Soro-
rem esse Christi, habitu fæmineo præditam, quæ lati-
tudine suâ VI. milliaria, longitudine autem XXIV.
complecteretur. DEUS bone! quanta portentosa mon-
strosarum opinionum circa divinissimum SPIRITUM.
Porro *Montanista*, qui cæteroqui *Cataphrygum* ac *Pepu-*
zianorum nomine veniunt, novum quoddam commen-
ti errorum sunt genus. Neque enim vel divinitatem vel
personam Sancti SPIRITUS inficiati sunt; ut qui de
Patre, & Filio, & Spiritu similiter sentirent ac crederent
cum universâ sanctâ Ecclesiâ; quod *Epiphanio* hæres.
48. vel, qui, quod ad veram Trinitatis rationem attine-
ret, minime offenderent; quod *Theodoreto* l. 3. hæret.
fab. monitum est. Professia autem sunt (quæ ipsa etiam
fatis monstruosa ac impia est sententia) Spiritum S. non
) (2 tàm

tam plenè adeò perfectèq; super Apostolos, quàm super *Montanum*, ejusq; Prophetissas effusum esse; quibus etiam dictârit aut revelârit, quæ captum Apostolorum exsuperavissent. Mirum est, imò omnem admirationem vincit profectò, *Tertullianum*, gravissimum cæteroquin, ac eruditissimum Scriptorem, sic ad stipulatum insaniam, uti ipsa tandem *Montani* in castra, factò abs Ecclesiâ divortio, abiret, atque absurdissimarum Mulierularum (*Priscilla & Maximilla* dicebantur) ineptiis caperetur. Placet super eâ re *Vincentium Lirinensem* sic in Commonitorio differentem, aut vices potius in avia abrepti Tertulliani miserantem, audire. Latino- rum, inquit, Patrum facilè hic Princeps judicandus est. Quid enim hoc Viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatus? Nempè omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum Sectas, auctores, adsertoresq; Sectarum, omnesq; eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quâdam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonnè tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut pondere eliserit? jam porrò orationis, quæ in Viro fuit, laudes quis exsequi valeat? Quæ tantâ, nescio quâ, rationum densitate conferta est, ut ad consensum sui, quos svadere non potuerit, impellat: cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Her-
mogenes,

mogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæteriꝫ, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic idem post hæc omnia, hic, inquam, *Tertullianus*, catholici dogmatis, i. e. universalis ac vetustæ fidei parùm tenax, ac disertior multò, quàm felicior, mutatâ deinceps sententiâ, fecit ad extremum, quod de eo B. Confessor *Hilarius* quodam loco scribit (sc. in Matth. cap. V.) ubi, *sequenti*, ait, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*. Dolendum utique, deslendumq; discessisse Virum abs fide, atque antiquissimæ religioni novellas *Montani* furias, insanaq; illa insanarum Mulierum novitii dogmatis somnia, pro veris prophetiis habendo, prætulisse. Hæc paullò prolixius ex *Vincentio*, elegantissimo Auctore, recitare, quùm in *Tertulliani* mentionem incideremus, voluimus, uti eo ipso manifestum fieret, quò quis major sit aut eminentior, eò sæpe numero lapsui atq; erroribus viciniorem esse; quò quis eruditior, aut subtilior, eò in hæresin inclinare magis, vel etiam ire. Uti nulla utiq; fides melior, quàm quæ simplex, haberi existimariq; debeat. Non in sapientiâ Seculi, aut grandiloquio, sed in humilitate virtus perficiatur nostra. Nunquam fraudum suarum desinit Satanæ. Qui nullos citius in præcipitia protruserit alios, quàm quos suoapte fisos nimium ingenio, aut doctrinâ inflatos ab illâ *semel traditâ fide*, adeoq; nativo illo literarum sensu alieniores videat. Cæterùm pertexere lubet certaminum

taminum circa SANCTISSIMUM historiam: *Arianus*
& *Photinianus* ambo *Hæretici*, & adversum se ambo divisi;
verba B. sunt *Augustini*, loco nonnullo. *Arianorum* est
sententia, creaturam utique esse SPIRITUM, sed rati-
onalem & per se subsistentem. Personam itaque esse
largiuntur, sed Patre Filioq; longè minorem, ut quæ
utrique præstet servitia. *Photiniani* autem personam
Spiritus S. adimunt, singularem & distinctam scilicet
subsistentiam non attributuri. Sed mens est ipsorum,
quoties ipsius hujus mentio SPIRITUS in sacris fiat, to-
ties denotari per eam voculam, vel virtutem ipsius DEI
divinam, vel donum aliquod ejusdem in hominibus
præclarius aut luculentius. Seculo IV. ortus est *Mace-*
donius, qui in hoc natus videri queat, uti bellum ex pro-
fesso indiceret ei, qui non nisi pacis, lenitatis atque
mansuetudinis SPIRITUS est; quemq; adeò concilia-
re potius sibi, aut partibus suis faventem habere debe-
bat; ut absque quo & ipse, & nos omnes nauci simus fu-
ruri ac nihili. Qui ex Scholâ ejus prodirent, ac dogma
ejusdem sequerentur, ab re ipsâ nomen sortiti, atque
πρόφρασις dicti sunt. Docuerunt unâ cum Magistro,
Spiritus S. tantum esse creaturam; nihil habere cum
Patre & Filio commune, & tantum esse Ministrum ac
famulum ipsorum. Quod utique ex *Theodoreto*, *Rufino*
atq; *Sozomeno* colligere est. At *Augustino* asseveratum,
Macedonium, licet Spiritum S. DEUM esse negârit, sta-
tuisset tamen, Deitatem Patris & Filii esse, nec propriam
habere


habere substantiam. Retusa ac refutata hæresis est per celebratissimam Constantinopolitanam Synodum, Oecumenicam II. jussu THEODOSII Magni habitam; quæ, præterquam quòd Symbolo necessariam de Spiritu S. & aliis dogmatibus declarationem adjiceret, canonibus, quos de regimine & disciplinâ condidit, Civitatis Constantinopolitanæ Episcopo inter Patriarchas proximum à Romano locum dedit; quòd ipsa foret nova ROMA. Porrò de *Donato*, Donatistarum secundo Episcopo, alteroq; quasi Auctore monet toties citatus *Hipponensium* summus Doctor *Augustinus*, nec ipsum catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum S. Seculo XII. fuit *Petrus* aliquis *Abailardus*, qui, quùm Spiritum Patri Filioq; ἑμῶσιον esse, atque ex utroque procedere etiam fateretur, negavit tamen ex Patris Filiiq; prodire substantiâ; quod de eo Divus Bernhardus conqueritur. Avorum Patrumq; quin nostrâ quoque quodammodò memoriâ, hærese^{ων} harum in Poloniâ, Hungariâ, Transylvaniâ, & Lithuaniâ non minimæ renovatæ, & ex orco quasi, quò relegatæ cæteroqui per DEI gratiam erant, reductæ sunt. Res notior est, quàm uti demonstrari indigeat. Enimverò *Fausti*, aut infauitissimi potius, *Socini*, *Volkeli*, *Smalci*, *Enjedini*, *Blandrata*, *Osterodi*, *Crellii*, aut quæ purgamenta hujus commatis sunt alia, abundè fecerint fidem. Nos quidem profectò
longè

longè diverso, circa hodiernam festivitatem, Scriptio-
nis defungi argumento poteramus; sed præsens occu-
pare volumus, cum uti ostenderemus, quanta earum
sit gentium miseria, apud quas non satis rectè sibi fides
constet atque rēligio; tum uti nostram contra depræ-
dicarem felicitatem, apud quos de DEO & SPIRITU
ejus, ita, per ejusdem gratiam, sentitur & creditur, ut er-
rorum, quales multos partim stolidos, partim impios
recitavimus, penitus immunes simus. Quod agnoscen-
dum utique grande beneficium, Patriq; luminum, abs
quo omnis donatio egregia, & omne integrum donum
proficiscitur, pro limpida veritatis luce, & sinceritate
doctrinæ, clementissimè nobis concessâ, agendæ gra-
tiæ. Quas itaque non detrectabitis, CIVES ACADE-
MICI, Vos verò præcipuè, STUDIOSI JUVENES,
Numini exsolvere; neque verò etiam negligetis sacris
his *Pentecostes* diebus, Viris Ecclesiasticis, in cætu sacro Ve-
ritatem Christianæ de SANCTO SPIRITU fidei, ube-
rius disertiusq; exposituris, operam attentè commodare. :
Id denique omni molimine serioq; agetis, ne per intemper-
em vitæ arceatis abs vobis *Paracletum*, sed ut animi vestri *divini*
hujus *Hospitis* templa sint, isq; ad eò Vobis, conatibus, dictis
factisq; vestris propitius adspirare dignetur. Magna verò
etiā pietatis atque officii vestri pars fuerit, non oblivisci
eorum, quos ope vestrâ indigere intellexeritis. Neque
enim tam ullo delectatur DEUS sacrificio,
quàm charitate ac misericordiâ.

Valete.

P. P. in Universit. Rostock. c. Io. Io. LXIII.
VII. Eid. Jun. sub Sigillo Rectoratus.

habere substantiam. Retusa ac refusa
per celebratissimam Constantinopolitana
Oecumenicam II. jussu THEODOSII
quæ, præterquam quòd Symbolo nec
ritu S. & aliis dogmatibus declaratione
nonibus, quos de regimine & disciplinæ
tatis Constantinopolitanæ Episcopo in
proximum à Romano locum dedit;
nova ROMA. Porrò de *Donato*, *Donato*
Episcopo, alteroq; quasi Auctore
natus *Hipponensium* summus Doctör
ipsum catholicam de Trinitate habuit
sed quamvis ejusdem substantiæ, min
tre Filium, & minorem Filio putasse Sp
XII. fuit *Petrus* aliquis *Abailardus*, qui
Patri Filioq; *ὁμοούσιον* esse, atque ex utro
etiam fateretur, negavit tamen ex Patre
substantiã; quod de eo Divus Bernhar
Avorum Patrumq; quin nostrã quoque
memoriã, hærese^{ων} harum in Poloniã, Pr
sylvaniã, & Lithuaniã non minimæ ren
co quasi, quò relegatæ cæteroqui pe
erant, reductæ sunt. Res notior est, qu
strari indigeat. Enimverò *Fausti*, aut
tius, *Socini*, *Volkelii*, *Smalci*, *Enjedini*, *Bl
di*, *Crellii*, aut quæ purgamenta hujus
alia, abundè fecerint fidem. Nos qu



sis est
odum,
bitam;
le Spi
et, ca
Civi
archas
foret
ecun
es cita
nec
tiam;
en Pa
eculo
ritum
edere
rodire
eritur.
modò
Tran
ex or
atiam
mon
ni po
stero
s sunt
fectò
longè